

torum, secretioris aulae, exercitusque ducum, quibus princeps vel omnem Tabulam vel ejus partem ad negotium perficiendum committebat. Id declarat in loco saepissime citato *Vegetius* de re militari III, 6: „Dux belli itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime debet habere descripta, „ita ut locorum intervalla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate perdiscat, compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret; usque eo, ut sollertiores duces „non tantum annotata, sed etiam *picta* habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum viam profecturis eligerent.“

Arcanis imperii igitur adnumerabatur primaevus ille Orbis Pictus, cujus exemplum Tabula Peutingeriana exhibet. Hujus archetypi usus omnino denegatus et sub malo principe exitiosus quoque fuit privato, quod rebus novis eum studere suspicio excitabatur domino, de qua re nos certiores reddit *Suetonius* in Domitiano, c. 10. Metiano Pomposiano capitale fuit, „quod *depictum Orbem Terrae* „in membrana circumferret.“ De imperatoris mappa sermonem esse liquet, porticus enim pictura cuius privato patebat.

Inde summa Orbis Picti raritas; in scriniis enim imperatoris seclusus non nisi paucis conspicuus, ita ut ducibus ad gerendum publicum negotium vel totius exemplum vel partis tantum committeretur; eodem modo quo nostris diebus dux exercitus mandata, quae exequantur, in aggrediendo hoste accipit, simul et regionis delineationes aliis haud communicandas. Quae ita se habere non tantum re ipsa declaratur, sed et testimoniis veterum, a Simlero, Welsero, Wesselingio atque Scheybio conquisitis, quorum et ego notabo *Ambrosii* comment. in Psalmum CXVIII: „Miles qui ingreditur iter, viandi „ordinem non ipse disponit sibi, nec pro arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne „recedat a signis; sed *Itinerarium ab Imperatore accipit, et custodit illud.*“

Accurata igitur diligentia, quae in qualibet provincia subinde in viarum rationibus mutabantur, imperatori erant transmittenda, ut insererentur magnae Mappae. Id nisi summo studio factum esset, ducibus itinerantibus certi quidquam quo confiderent, tradi nullo pacto potuisset; nunquam ejusmodi edicta potuissent prodire, quale ab Imp. Alexandro Severo editum esse *Lampridius* in vita Alex. Severi, c. 45 notat: „illa die, illa hora, ab urbe sum exiturus, et si dii voluerint in prima „mansione mansurus; deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, deinde ubi annona accipienda; „et id eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur.“ Omnia igitur maxima cura notata fuerunt in Tabula, ne error commissus noxius esset proficiscenti.

Facile nec turbato concinno ordine (de quo inferius necessaria notabo) inserebantur Tabulae novae viae, debebantur aliae. Seculi decursu tamen quum multa sensim accrescentia confundere institutum ordinem, errores adducere viderentur, nova Orbis Picti opus erat recensione, — nec tamen nova, qualis Augusti aevo facta est Imperii mensuratione. Ejusmodi incoeptum tam arduum erat, ut nullo modo, nisi summa necessitate urgente instauraretur. Nec ulla necessitas impulit, omnibus per